

Hoc enim [a] antiquitus fertur agitat^{um},
 Captum vi [b] Forlivium sulcis [c] desulcat^{um} [d],
 Rastris et vomeribus fuit dearat^{um},
 Destructumque funditus, sale seminat^{um}.
 Quod Ravennae [e] intulit suae pravitae
 Luctus, fletus inerat [f] ea tempestate,
 Plusquam Flavie [A] summa libertate, [L...f]
 Restauravit denuo motus pietate.

Occasione vero dicti fossati, inceperunt Forlivenses offendere Faventinos, magis in nocte quam in die, dicentes dictum fossatum esse in eorum districtu. Laeserunt siquidem fossatum multoties et clusam; villam Rosaroli cum ecclesia combusserunt, terminos qui erant in fundo Cassirani [g] amoventes.

Quos amotos, Livii satis inconsulte
 Detulerunt Leivam noctu [h] et occulte
 Legibus et agrariae finibus indulte
 Irati spiritu [i] vanitatis stulte.
 [et] Primus effigiem tenet leoninam
 Alter crucis retinet formam coelestinam [j]
 Binam et dioeceses dirimunt pluvinam
 Uti Phœbus Cynthia lucem matutinam.
 Leonina facie Flavia notata
 Bella gessit fortia fama vocitata
 Forma crucis Livia recte confinata
 Sui posce inscia bellis levigata
 Has iconas [k] terminis sculpta interlati
 Veritas, ut maxime pereant erati [l]
 Struxerunt Livii [m], vulgus vanitati
 Multa mala irrogat error veritati.

Anno Domini MCCXVIII, in kalendis Januarii, equitaverunt Faventini usque Fractariam, ubi conjunctionem facientes, coram toto populo Liviensium, masculis et foeminis, clericis et laicis, eos publice in banno miserunt, incipientes cum eis hostiliter agere, arbores et vineas radicitus evellentes, loca praeterea, scilicet villam Casalungulae, villam Ollani [n], villam Velanai [o], villas ambarum Fossularum [p] [B], villam

[a] Hoc enim. Sic Cod. V.; *hec enim*, legit Cl. Mitt. — [b] Captum vi, C. M.; *captum videlicet*, C. V. — [c] Forlivium sulcis. Sic Codd. — [d] sulcis desulcatu. Sic lego. In Codd., *sulcis desulcatu*. — [e] Quod Ravennae. Sic Codd. An legendum: *qui Ravennae*? — [f] Luctus, fletus inerat, Cl. Mitt., *fluctus fletus iverat*, C. V. — [g] Cassirani. Sic Codd. — [h] Leivam noctu. Sic Codd.; fortasse *Livia* sumitur pro Forolivio. — [i] Irati spiritu, C. V.; *iracti spiritu*, C. M. — [j] formam coelestinam, C. V.; *forma coelestina*, C. M. — [k] Has iconas. C. M. habet: *has yconas*. — [l] pereant erati, C. M.; *presset erati*, C. V. An legendum: *pereat errati*? — [m] Struxerunt Livii, C. V.; Cl. Mitt. legit: *destruxerunt Livii*. — [n] villam Ollani, Codd.; Cl. Mitt. vero legit: *villam Ollaris*. — [o] villam Velanai. Sic lego Codd.; *villam Velantii* legit cl. Mitt. — [p] ambarum fossularum. Sic lego Codd.; Cl. Mitt., *arborum fossularum*.

[A] Flaviae: Flavia hic sumitur pro Faventia.

[B] Fossularum, vulgo Fossolo, ad septentrionem septem milliariis cum dimidio ab urbe Faventia.